

# HEIDA.



EIDA Dithmarsiæ opidū quadratum, ut ex picturâ constat, prout & forum eius, quod est per amplū, longū, latumq; DCCC. passus, & in singulis IV. angulis vias habet amplas ac Rōgias in omnes partes Dithmarsiæ se extendentes. Dictum est hoc opidū ab ERICA, in qua est constructū. Nam Erica Germanis significat Heide: & propterea celebre fuit, quod singulis septimanis olim magistratus illorū, nemp̄ XLVIII. Iudices ibi cōuenire ac ius dicere solebant: quodq; singulis diebus Saturni totius terra ibi nundina olim fuerunt habitæ, ut adhuc eo die celebrantur, situm enim est hoc opidum in medio ferè totius regionis, ita ut spatio vnius diei vndique incole eō confluere possint. Nam cum opus fuit, tota multitudo in huius opidi foro conuenit. Non procul ab hoc opido Anno Domini MCCCCIV. in loco, qui dicitur Hamme / interfectus est Gerhardus Dux Slesvicensis, atque Comes Holsatiæ, nec non equites aurati bisseni, & ex nobilitate Holsatiæ CCC. Sed cum ultimo Dithmarsi subacti sunt à Friderico II. Rege Daniæ & ducibus Holsatiæ, anno M.D.LIX. postea illorum pœnas eodem ferè loco dederunt, & libertatem, quam sibi arrogabant, vñā cum vita amiserunt, ita ut non procul distis locis diuersis temporibus viatores extierint & vieti fuerint. Distat hoc opidum ab Itzehoa V. miliaria, Meldorfio vnum, Roudesburgo quinq;

## In Op. Heidam Epigramma.

Iste quid horrendi qui transfodit ora draconis?  
Scilicet hunc signis contulit HEIDA suis.  
Utq; viget multis vitæ successibus: armis  
Sic quoque viætrices posset habere manus,  
Si non, aduerso bellî certamina viæta  
Eset Cimbriacum iussa subire iugum.  
Oppida si spectes, quibus est Dithmarsia nota,  
Postremum certè non tenet Heida locum.  
Totius est etenim Centrum memorabile terræ,  
Incola quam modico tempore adire potest.  
Per totidemq; vias se latè pandit eunti,  
In se quot partes integer annus habet.

Hic varias merces Saturni luce reducta  
Semper, Venales ære, videre licet.  
Olim Iudicibus mos, hīc cognoscere causas  
Et varias lites tollere lute fuit.  
Quod simul atq; semel Dithmarsos excipit omnes  
Cum res exposcit, possidet Heida forum.  
Est breue præterea spatiū, quod distat ab Heida  
Notus Dithmarsi Hammeus iste locus  
Quo Slesvicensis dux cæsus ab hoste Gerhardus  
Dithmarso, vita fata suprema tulit.  
Et libertatem cum vita amisit eodem  
Dithmarsus, magna non sine clade, loco.

# M E L D O R P I V M.

M ELDORPIVM Dithmarsiæ opidum, nomen traxit à flumine Milda præterlabente quod olim magni ciuum commodo nauigabile fuit, iam, paruis tantum cymbis huc vsque nauigatio institui potest. Est ibi ecclisia magnifica, quæ hoc sibi laudis sumit, quod prima totius regionis fuerit, in qua paganismo suppresso, Christiana religio annunciata fuit, celebratur ibi singulis annis, omnium religiosorum conuentus. Monasterium hic quondam celebre Minoritarum fuit quos ob maiorum vitæ & regulæ licentiam & libertatem, de laxa manica, alibi etiam Gaudentes vocant. Hoc autem Monasterium, ante Dithmarsos subactos, ab incolis funditus est euersum. Ibidem etiam extat Schola Ludimagistris & Pædagogis eruditis satis prouisa. Ter expugnata & euersa est hæc vrbs. Primū à Geberdo Duce Slesvicense. A.C. M. CCCIV. Secundò, à Ioanne Rege Daniæ, & Friderico Duce Holsatiæ A.C. M.D. Tandem à Friderico II. Rege Daniæ, ac Ioanne & Adolpho ducibus Holsatiæ A.C. M.D. LIX. Iam floret propter iudicium, quod ibi exercetur singulis septimanis, Regis Daniæ nomine, cui præesse solent, præfectus Steinburgensis, pro tempore Consiliarius Regius. Deinde præfectus Plebeius Dithmariensis, & vndeclim Senatores in Dithmarsia nati, quibus Scriba Regius adiungitur. Qui omnes habent salarium à Rege. Hoc opidum distat à Crempa quinque miliaria. Itzehoa quatuor. VVilstria tria, Heidavnum. Et sex, Beudesburgo.

Inclyta Dithmarsæ caput est Meldorpia terræ  
In clypeis quod te pulchra Theatra docent.  
Illijs irrigua sese pars altera terræ  
Iungit, arenosis altera gaudet agris.  
Hæc etiam veterum belli monumenta laborum  
Seruat, & effusi signa Cruoris habet.

## Aliud.

Flumine de Milda traxit MELDORIA nomen,  
Non contemnenda iam decus urbis habens.  
Est ibi magnificum cultu prædiuite templum:  
Et Schola quæ doctos gaudet habere viros.  
Ter bello superata fuit, Regumque Ducumque  
Viætrices supplex est venerata pedes.